

Gamelbd.

010

de,

DE
MORTIS BENEFICIO

AD HERODOTI LOCVM LIB. I, CAP. 31.

DISSERIT

ET

AD ORATIONES VIII.

IN SCHOLA TORGAVIENSI

D. III. ET VI. APRILIS A. CCCCCCLXXXVII.

H. L. Q. C.

AUDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT

A. A. L. L. MAGISTER ET LYCEI RECTOR.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

DE

MORTIS BENEFICIO

AD HYGGEOTI FOCARIAM D. C. 15.

DEBEGELI

TI

AD GRATIATIONE ANI

IN SCHOLA TORGAVIENSIS

ANNO III. 15. 15. M. D. C. 15. A. C. 15. 15. 15. 15.

H. M. G. E.

ADIBENDAS

TATRIONIS ET PATERES

INNAT

TRAGODI ET HEDERICAS BENEDICT

AD H. M. G. E. A. C. 15. 15. 15. 15. 15. 15.

THEATR

ALLEGORIAS A. M. 15. 15. 15. 15. 15. 15.

§. I.

Acute quidem dicit immortalis LESSINGIVS *), mortem hominis naturalem proprie peccatorum poenis adnumerari non posse, neque si vel ipsa Christi praecepta respicias, tam tristem ab illo annunciatam videri doctrinam, ut, quae totam hominem vitam diuina benignitate et concedi et conseruari doceat, ipsum vitae finem, quo tempore in primis religio omnis vim suam exserat, necesse est, poenarum diuinorum loco immitti tradiderit. — Ita quidem sapientissimus ille LESSINGIVS, et qui eius sententiam tueruntur, partim ex tota rerum natura, partim ex locis librorum diuinorum argumenta ad eam defendendam depromut. Illi quidem vitae humanae finem ita similem in omnibus esse reliquorum animantium morti contendunt, ut, si mors hominibus poenae loco immittatur, illum bestiarum interitum quoque in poenis habendum esse concedas, quod autem statuere ineptum videatur. Sicut porro laborem nunc nemo amplius pro poena impositum dicat hominibus ab ipsa faatrice natura, sed iis tamen grauiorem atque molestiorum fieri, ut adeo poenae loco auctus videatur, qui desidia atque vitiis multam vitae partem fo-

A 2

darunt

*) sub finem laudatissimae dissertationis: *Untersuchung, wie die Alten den Tod gebildet,*



darunt: ita mortem quoque hominibus, qui honesti legibus conuenienter vixerint, naturae beneficio potius immitti, vt perfectiora, quae frustra desiderent, vitae bona post mortem ipsis concedantur; sed iniustis tamen, qui cupiditatibus male retenti vitam in his terris profundant, mortem citius, quam expectauerint, et tanquam poenam imminere.

§. II.

Hi vero, qui librorum diuinorum testimonia in medium proferunt, primum loco GENESOES II, 17. non mortem in specie dictam, sed notissima Hebraeorum loquendi ratione omnis generis miseriam in hac vita intellectam volunt: quia in primis, cum patrato iam peccato, poenam primis hominibus constitutam vberius declararet Deus CAP. III, 16 — 19. non repentinum vitae finem sed longe alia vitae adhuc continuatae mala indexerit, quibus potius mors naturalis tandem impositione sit finem. Ergo, si vel maxime adnumeret mortem quoque inter haec mala a Deo indicta, tamen propriam poenae notionem cum illa non coniunctam videri, nisi etiam partum hominis dolore plenum, maiorem mariti auctoritatem, terram sentibus consistam et labores hominum cum sudore coniunctos inter proprias humani generis poenas referre malis: quibus certe rebus ita niti naturae nostrae perfectionem, vt vel ante primum Adami peccatum adeo constitutae videantur, nec, nisi scelesti hominum vita, poenarum diuinarum sensus excitare in ipsis possent. — Deinde loco EPIST. AD ROMANOS VI, 23. mortis vocabulum eadem significatione tropica sumi, qua in antecedentibus v. 21. 22. accipitur; ubi propter *λόγον αἰωνίου*, oppositum illud virtutis praemium, et quia ad homines adhuc viuos, qui vero ad meliorem redierint frugem, haec scribat PAVLVS, non tam mortem naturalem *θανάτος* vocabulo indicauerit, quam in vniuersum potius omnis generis miseriam, quae perpetuo et in hac et in futura vita peccatori sub ipsum malefacti exitum eveniat. Sicut igitur in toto hoc capite multa male intellecta et ad seueram monachorum et ascetarum,

qui

qui dicuntur, disciplinam peruerse tracta sint, ita quoque ex ultimo huius capituli commate propriam peccati poenam in morte naturali positam esse, non vere probari.

§. III.

Ita fere disputant, qui LESSINGII sententiam tueruntur, neque haec eo consilio attuli, ut quid ipse sentiam declararem, sed ut potius comparatio quaedam recentioris Philosophiae cum illis priscorum hominum sententiis institueretur, qui etiam quavis ratione mortis terrores reprimere eamque in ipsis naturae beneficiis numerare studuerunt. In toto LESSINGII libro, quem modo laudaui, mortem somni imagine antiquitus in picturis expressam esse demonstratur atque antiquissima quoque scripta eidem fauent opinioni. Notissima enim est historia, olim saepius decantata, de filiis duobus Argiae sacerdotis morte propter pietatem donatis, ex qua, HERODOTO teste Lib. I, cap. 31. (quem locum etiam GESNERVS in Chreſtōmatiā graeca excerpit) apparet: ὡς ἀμείνον εἴη οὐθέωπτο τεῖχον μαλλον ἢ ζωεν, optatiorem homini mortem quam vitam videri. Quamquam plurimi scriptores hanc historiam enarrarunt, atque rhetores antiqui adeo exercitationum oratoriarum argumenta saepius inde petierunt, ut IAC. GRONOVIVS docet ad HERODOTI l. l. atque CICERO iam Tūscul. Quæſt. Lib. I. c. 47. his verbis indicavit: Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte etc., nullus tamen eorum iucundius eam, ipso HERODOTO tradidisse videtur, qui primus, quantum scimus, Solonis nomine haec retulit. Di-
Etis fidem faciam, laudatis reliquorum scriptorum locis, quot-
quot illorum comparare mihi lieuit.

§. IV.

AUCTOR quidem DIALOGI: περὶ θαυμάτων, quem AE-
SCHINIS SOCRATICI dialogis vulgo adnumerant, cap. 10. breui-
ter tantum hanc historiam laudat, ne nominibus quidem iue-
num duorum commemoratis. Quare etiam non cum HERODOTO

A 3

animos

¶

animos iuuenum illorum, sua sorte contentos, atque parem corporis fortitudinem praedicat, quippe qui victores iam in certainibus extiterant. Sed necesse erat, ut illa narrationi praemitteret HERODOTVS, quo magis pietatis ipsorum, quam tuūc in matre declarabant, causa atque origo appareret. Deinde nihil de temporis breuitate refert Auctori dialogi, nam tempore sacrorum instanti, cum non amplius boues ex pascuo in urbem redigere licet, (*ἐκκλησίους τὴν ὁργήν*) iugum subierunt. Denique spatium quoque XLV. stadiorum, quod cursu suo emensi erant et millario, ut vocant, Germanico maius est, indicare omisit: quo tamen cognito, modo vera sint, quae Solon narrabat, mortis iuuenum repentinae rationem reddere quodam modo valemus. Ceterum acutissimo dialogi illius auctori hanc breuitatem minime vitio vertam, quae in rei tam notae omnibus enarratione necessaria adeo videbatur. Eadem de causa etiam verba quaedam ab ipso omisso suppleri ex HERODOTO debent. Nam vocabulo: *ὑπεδύντες* addit HERODOTVS: *ὑπὸ τὴν ζευγλὴν*, et pro *μετὰ τὴν ἐνόχην* habet: *μετὰ τετταριν τὴν ἐνόχην*, quo disertissimae matris indicantur. Ad verba: *ὑπερησσώτος ζεύγεων* etiam ex HERODOTO intelligi debet: *βασιλ.* Denique ad rationem omisso vocabuli: *βιον* in verbo: *μετηλλαζέαν* intelligendam praeter FISCHERVM, doctissimum huius dialogi interpretem, LEISNERVS atque SCHWERELIVS in commentariis ad LAMB. BOSII *Ellipses Graecas* pag. 51. conferri merentur, qui, a verbis quam plurimis mortem indicantibus vocabulum: *βίος* boni ominis causa auferri solere, docuerunt.

§. V.

In CICERONE *Tusc. Quæst.* I, 47. pluribus verbis eadem enarratio repetitur, elegantiae eius repetitioni quaedam insunt memoratu non indigna. Primum enim lectio illa: *ἀγγεῖος λεγεῖσθαι* *νίες* quam habet dialogus de morte inscriptus, aperte confirmatur CICERONIS verbis: *Ἄργινα sacerdotis filii*, quia in illa enarratione Graecos scriptores sequi debuit Cicero, atque haec etiam dialogi verba: *ἐνξαμενος αὐτοις της μητρος γενεσθαι τι της ἐνεσθεται παρα της Ἡρας γέρεας*, cum CICERONIS dicto: *precata a Dea*

Dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, plane consentiunt. Licet porro ex HERODOTI loco: δέναι, το ἀνθεπτῷ τυχεῖν ἀγιστὸς ἐστι, addatur: quod maximum homini dari posset a Deo, tamen dialogus graecus paulo ante iam eiusdem petitionis mentionem iniecerat; et ipsa de Trophonio et Agamede historia, quam scriptor vterque simul, diuerso tamen ordine, adiungit, ex eodem fonte haustam esse hanec enarrationem, non obscure declarat. Deinde, quid sibi de hac tota enarratione videatur, CICERO indicat ve bis: *nota fabula est.* Quod HERODOTVS dicebat: ὅρη τῇ Ήρῃ ἐστὶ CICERO interpres vertit: sollempne et statum sacrificium; nam in sequentibus dicitur: ὡς ἐθνοῖς καὶ εὐωχηνθῆσαν, quod alterum etiam CICERO retinuit: epulatos cum matre adolescenter. HERODOTI enarrationem, de XLV. stadiis in viuuerum indicavit dicens: fatis longe ab oppido ad fanum, sicut illud de bubus, ex agro non in tempore reducibus, tantum verba: morarenturque iumenta, exprimunt. Eandem denique narrationem nouo additamento exornavit: iuuenes, ueste posta, corpora oleo perunxerunt. Quibus quidem frequentissima apud antiquos vniuersio respicitur, de qua GALENV in opere: *de sanitate tuenda* multis disputauit. Nam oleo non solum luctatores, vt agile corpus redderent, sed reliqui etiam inter Graecos et Romanos saepissime vngebantur, quia eos viribus roborare, in itinere sudore repellere atque celerem membrorum motum augere videbatur; quare nostra adeo aetate quidam etiam ex omissa vngendi consuetudine corporum nostrorum debilitatem explicare voluerunt. Itaque his additis CICERO nihil praeter rem dixisse videtur.

§. VI.

AUCTOR vero libelli, quem Ciceronis consolationem vulgo dicunt, ubi eiusdem narrationis mentionem iniecit, mirum, quantum cum CICERONIS sententia consentit in *Tusculanar.* Quaeſt. I. l., vt adeo locis, quae ſuſpeto huic libro fidem detrahunt iure accenſeri mereatur; id, quod LIPSIUS etiam in iudicio huius libelli eaſa ſcripto fecit. Non equidem ignoro, ſaepius CICERO-

NEM in diuersi argumenti libris eandem narrationem repetiſſe, vt: Lib. I. de Offic. cap. 10. et Lib. III. cap. 25. Thesei preces ad Neptunum factae totidem fere verbis, quia ex graeco scriptore hauerat CICERO, repetuntur. Sed cum plures narrationes ordine eodem in locis diuersis repetuntur, cum non tantum eadem sententiae, sed verba quoque non diuersa, vbi tamen aliis verbis vti liberum eset, denuo et eadem serie occurruunt, cum porro plura eiusmodi loca, quae nimiae imitationis speciem praeſe ferunt, in libro quodam deprehenduntur, et verba denique, quae ex suo addit scriptor, ineptiis sunt accenſenda; non solum loca illa imitationis plena sed totum adeo librum subleſtae fidei esse, non sine causa coniicimus. Ineptias autem allati loci deprehendo in his verbis: mortem autem, tanquam optimam, illis esse confeſſam, credamus sane Apollini Delphico etc. Primum enim haec verba Iunonis, de mortis beneficio testatae, auctoritatem fine cauſa infringunt, quasi solus Apollo inter Deos vera dicere possit. Deinde Apollo non illis quidem, Cleobi et Bitoni, sed his potius Trophonio et Agamedi mortem esse optimam testatur.

§. VII.

Iusto breuior est VALERIVS MAXIMVS Lib. V. cap. 4. in filiis Argiae sacerdotis laudandis. Nam ipsorum pietatem cum Amphinomi et Anapiæ praeclare facto coniungit, qui parentes humeris per medios Aetnae ignes portarunt. Sed nimia breuitate obscuritas quaedam enascitur, quia plane diuersa fratum illorum fata fuerunt. Ipse addito: neutrī pro ſpiritu parentum exſpirare propositum fuit, opinionem iniſcere possit, ſive caea ſive eodem fato seruata esse ambo fratrum paria. Sed illorum mortem HERODOTVS, horum autem ſalutem et ſibi et parentibus reſtitutam STRABO Lib. VI, pag. 269. C. cum multis alis ſcriptoribus testatur, quos CASAVBONVS ad STRABONIS locum et RHODIGINVſ Lection. Antiqu. Lib. XI, cap. 17. laudant.

§. VIII.

§. VIII.

Hanc autem de Amphinomo et Anapia historiam **HYG-
INVIS** fab. 254. cum alia quadam confusisse videtur. Nam idem
praecclare factum Damoni et Phintiae cuidam tribuit, quorum
tamen pietas **CICERONIS Offic.** III. 10. et alibi, longe alia re-
gusta, celebratur. Iam quidem qua fide **HYGINVS** in eodem capite
nostram **HERODOTI** historiam repetierit, ex illo errore, cuius in-
simulatur, facile dijudicare licet. Primum enim nomen sacerdo-
tis, quae Cydippe appellata sit, cum **STOBÆO** refert, quamvis
illud taceat **HERODOTVS**. Deinde, nomina filiorum corrupte Cle-
ops et Bitias appellantur. Boues autem in passione mortuos,
sacra in monte fieri solita atque in plauso simul aduecta esse,
sacerdoti, nisi stat tempore sacra perageret, mortis poenam
imminuisse, et cum filios somno adquiesce h. e. somno vitam
finuisse videret, ipsam voluntaria morte obiisse, narrat. Quae
quidem omnia cum sint recentiora **HERODOTI** narratione, forte
ex poeta quodam, quorum vestigia in primis legere videtur **HY-
GINVS**, haec additamenta conscripsit. Maxime vero ridicula va-
rietas in eo cernitur, quod **HYGINVS** filios domum reduxisse ma-
trem, ideoque grauissimum laborem denuo suscepisse et tunc de-
mum esse mortuos refert. **HERODOTVS** contra docet, in ipso
Iunonis templo somnum letalem ipsis immisum, quod non faci-
le fieri potuisset, si mater ipsorum opera domum esset reuecta.
Hoc autem: neque ad horam — apparerent, est graecum **HERO-
DOTI**: ἐπαρεγγεντο ἐν ὥρῃ.

§. IX.

Supereft iam, vt loca quaedam scriptorum graecorum
adiungam, quibus eadem **HERODOTI** historia celebratur. **PALAE-
PHATVS** quidem cap. 51. ieune nimis haec refert. Sunt tamen
noua, quae de bobus albi coloris leguntur, qui plentum illud
traherent; quamquam albi coloris in omnibus coelestium Deo-
rum sacris rationem in primis habitam esse, inter omnes constat.
Quod porro ipsam matrem hoc defectus amouendi consilium callide
excogi.



excogitasse dicit, (ἐσοφίσατο πάτερ την απογειαν) etiam ab HERODOTO omittitur, atque omnino pietati filiorum magis illustrandas inferuit, si ipsos sua sponte ita praeclare egisse credamus. Ex HERODOTO tamen addit: σασα κατα το ἀγαλμα, quod reliqui scriptores omiserunt.

§. X.

Deinde PLVTARCHO, qui *in vita Solonis*, pag. 67. edit. Froben. totum Solonis colloquium cum Croeso institutum, mutata paululum sententiarum consecutione excerpit, in hac quoque historia omnium maxime ante oculos HERODOTVS fuisse videtur. Quod fusius dixerat HERODOTVS, filiorum fortitudinem a viris, et laetae tantorum liberorum matris felicitatem a foeminis admiratione et laudibus esse celebratas, idem paucioribus verbis contraxit PLVTARCHVS: ἐνδαιμονιζόμενη ύπο των πολιτών καὶ χαρέσσαν. Deinde HERODOTI verba: ὁδούσαι τε καὶ ἐνωχηθῆσσαν, similibus permutavit: θυσάντες καὶ πιούτες. Nam πιούν quoque latiori sensu idem quod ἐνωχεῖσθαι, lautum nempe *idque hilare coniuivium* significare, multis scriptorum exemplis probari potest. Vt: XENOPHONTIS *Cyropaed.* Lib. IV. cap. 5, §. 3. legitur: οἱ δὲ Μῆδοι καὶ ἐπινοι καὶ ἐνωχεύτο καὶ ἡλέντο. In quo quidem loco partem coenae, nempe potionem, pro tota coena dici, sequens vocabulum: ἐνωχεύτῳ, eodem sensu latiori accipiendo, aperte indicat. Et paulo post de iisdem Medis §. 4. affirmatur: ἀνεμένους καὶ ἐπινοι καὶ ἐθερψάν, quod etiam de toto coniuvio XENOPHON dixit. Porro in HOMERI *Odyss.* lib. XIII, vers. 8, 9. canit poeta:

— ἐν μεγαροῖς γεγενοῖς αἰδόποιοῖνοι

Ἄιες πινετ' ἔμοισιν. —

Quod de toto Alcinoi coniuicio accipiendo esse apparet, quia nihil amplius de cibis deque coniuicio adiecit. Ita quoque sine additamento *Iliad.* Lib. XVII, vers. 250. πινετι de epulo ponitur,
quia

quia in potatione pars eius laetior atque pretiosior cernitur.
Quare ad h. l. SCHOLIA MIN. recte in genere explicant; τα διδούμενα τοις βασιλευσὶ καταγαλούσαι. Simili sensu quoque Latinorum potare interdum usurpatur. Vt: PHORMIO TERENTII
Ast. V. scen. V. dicit:

— *Otium*

Ab senibus ad potandum ut habeam —

et paulo post:

Nam (Phaedria) potaturus est apud me —

Quae quidem a parasito dicta sine dubio conuiuum lautiū idque tempestiuū indicant. Denique illam verbi πίνειν significationem etiam ex deriuatis ὁ πότος et τὸ συμπόσιον confirmare licet. Quare etiam Graeci in CICERONIS reprehensionem incurserunt, de Senectute cap. 13. qui accusacionem epularem non, vt Romani, conuiuum appellauerint, vt, quod in hac re minimum sit, si cum illa sermonum voluptate conferas, id maxime probare videantur. Non raro tamen vocabulum: συμπόσιον de modica tantum coena, in qua colloquiorum ratio maxime habetur, usurpari, PERIZONIUS probauit ad AELIAN. Var. Histor. Lib. II, cap. 18.

§. XI.

Tandem de STOBAEO mentio quaedam iniicienda videtur, qui et Eclog. XCVII. ex Auctore Dialogi, quem iam laudaui, et Eclog. CXIX. cuius inscriptio est: ἐπάνω Σταύρος pag. 603. editionis Aurelian. ex quodam PLUTARCHI loco hanc protulit historiam. De priori loco dicere, nihil attinet, quia totidem fere verbis in Dialogo laudato reperitur, sed in posteriori simul ex poeta quodam hoc epigramma affertur:

—

Οίδε Βίτων Κλεοβίς π', ἐπι σωμαστιν εἰκεισισιν
 Ζευγλαν ζευξαμενοι, μητέρα ήν ἀγετην
 Ἡρας εἰς ἱερον. Λαοι δε μην ἔζηλωσαν
 Εὐτενιας παιδων, η δε χαρεστα θεοι
 Ευξατο, παιδε τυχεη τε ἀριστα δικιουονος αισης,
 Ουνει' ἐτιμησαν μητέρα την σΦετερην.
 Αυτε δ' έυνηθεντε λιπον βιον ἐν νεοτητι
 Ως τοδ' ἀρισον ἐον και μακαριστον.

Cui hanc latinam interpretationem adieci:

Ille Biton Cleobisque iugum sunt corpore passi,
 Ut mox intraret mater amata Deae
 Iunonis templum. Populi nunc laudibus ornant
 Felicem pueris; laetaque corde rogat
 Diuam, quae natis prosperrima fata iuberet,
 Cum sua sit tanto culta labore parens.
 Illico sopiti linquunt in flore iuuentae
 Vitam, quae cunctos optima fata manent.

Neque etiam hos versus cum HERODOTI verbis conferre
 poenitebit, nam ex eius sententia accurate sunt expressi. Cum
 poeta dicit: ἐνξατο θεοι, vera lectio in antecedentibus STOBAEI
 verbis restituitur. Legitur enim nullo plane sensu: της μητρος
 αυτων δεξαμενης τη 'Ηρα. Quare pro: δεξαμενης emendari
 debet: ενξαμενης. Vocabulum: χαρεστα etiam in ARISTOPHANIS
 Nubibus vers. 273, occurrit, et ibi a SCHOLIASTE explicatur:
 χαρεστα, ήδυνθεσται. Denique verbo: ἔζηλωσαν illud HERODO-
 TI: ἐμακαριζον et PLUTARCHI: ἐνδαμονιζουσενη υπο των πολιτων
 exprimitur. Nam hoc significatu frequentissime occurrit. In
 EVRIPIDIS Alceste vers. 882, legitur: ζηλω αγαρες ατενες τε
 βεστων, Coeliber et liberis orbos praedico felices. In SOPHOCLES Aiace
 vers. 552, 553. και τοι σε και νιν τετο γε ζηλεν ἐχω. Propre-
 rea nunc felicem te praedito. Vbi SCHOLIASTES verissime expli-
 cat:

cat: καὶ νῦν σε μακάριώ, et in eadem Tragoedia paulo ante vers.
503. vocabulum: ἔηλος ponitur pro: μακάριος. Conferri et-
am meretur locus XENOPHONTIS Hellenic. Lib. V, cap. V, §. 38.
ἔγηλεν τῷδε τῷ πόλιν, et ARISTOPHANIS Nub. vers. 463. Εὐλωτοτε-
τον Βίον αὐθεωπων δαιζεις. —

Sed haec sufficiant de HERODOTI loco. Quicquid autem
homines et prisca et nostra aetate de morte non timenda docue-
rint, nulla re tamen, quam illa salutari Iesu morte, certior ani-
mis hominum imbecillis persuasio accedet, mortem, vita felicio-
ri exceptum iri. Itaque illam Christi mortem ut huius temporis
sollemnitas postulat, orationibus quibusdam in Lyceo nostro ha-
bendis celebrabimus. Prohibunt:

d. III. Aprilis

I.) IOANNES CAROLVS MAGNVS, Torgauensis, qui la-
tina oratione: *Virtutem per se ipsam splendere*, confirmatus
patriam, ut spem de se conceptam Academiae studiis augeat,
valere iubebit.

II.) IOANNES GODOFREDVS LIEBE, Lebina-Saxo, qui
oratione germana: *De mortis Christi beneficio*, et

III.) CAROLVS FRIDERICVS SEYFFARTH, Belgoranus,
qui latina oratione: *De animi humani inconstancia*, in Academi-
am discessum indicabunt.

IV.) IOANNES GEORGIVS KVIHNE, Lausenfis, qui ger-
mana oratione: *Amici mortui amissionem luctu esse dignissimam de-*
demonstratus carissimis Academiae Candidatis felicissimam futuri
temporis fortis Commilitonum nomine optabit.

d. VI.



d. VI. Aprilis.

I.) ADAMVS FRIDERICVS ERNESTVS IOST, *Smanneutio-Misnicus*, qui latina oratione: *De Ioannis Apostoli amicitia, qua Christum amplectebatur*, habita, scholam nostram valere iubebit.

II.) IOANNES HENRICVS SCHNEIDER, *Schoena-Misnicus*, qui germana oratione: *Integritatis retinendae pericula demonstrabit*, vt in Academiam se conferat.

III.) IOANNES ANDREAS ZOCHER, *Torgauiensis*, qui habita oratione latina: *De matris Christi tristitia, e schola patria, qua non indignus vixit*, in Academiam abibit.

IV.) CAROLVS GODOFREDVS NIESE, *Torgauiensis*, qui vernaculo carmine: *Delicta eo grauiora esse, quo maiore inter suos auctoritate gaudeant, qui illa committunt*, exponet atque Amicis in Academiam discessuris literarum amorem, quo et ipse tenetur, certissimum futurae felicitatis pignus laudabit.

Dimittimus igitur illos iuuenes in Academiam tanta perfusi laetitia, quantam maximam scholarum magistri post labores consilio non inhonesto nec infeliciter peractos sentiunt. Ut autem praesentia honorifica EPHORVS LYCEI SVMME VENERABILIS, SENATVS CIVITATIS AMPLISSIMVS, MINISTRI SACRO-RVM PLVRIMVM REVERENDI, MAGISTRI LYCEI CLARISSIMI et RELIQVI FAVTORES LITERARVM HONORATISSIMI animum addere illis adolescentibus, ipsorumque patriam studiis suis in posterum augendi ornandique cupiditatem magis incendere velint, omni, qua par est, obseruantia oro regoque. Scripti Calendis Martiis MDCCLXXXVII.

AB:155056
VD 18

ULB Halle
003 085 112

3



TA → SL
urw 75 flet f

VDB

R

MOR

A.

IN S

D. III

PATRO

TRAVGOT

A. A. L. L.

EX O F

